

**De glande plumbea ossi ethmoideo infixa : dissertatio inauguralis
chirurgico-pathologica ... / auctor Henricus Oestreich.**

Contributors

Oestreich, Heinrich.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ferdinandi Nietack, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ktfnsbme>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE 37. A. 436.

**GLANDE PLUMBEA OSSI
ETHMOIDEO INFIXA.**



DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICO - PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS

DIE XXIX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXX.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

HENRICUS OESTREICH

KARGENSIS.




OPPONENTIBUS;

M. JACOBY, MED. ET CHIR. DRE.

P. JABLONSKI, MED. ET CHIR. STUD.

H. W. THIENEMANN, MED. ET CHIR. DDO.



ACCEDIT TAB. AHENEA.

BEROLINI,
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

DE C. A. + 35

ETIAND DE PLUMBÆ OSÆ
ETIMONIÆ INMIKÆ

DISSESTITIO

INSTRUCTUS CHIRURGICO-PATHOLOGICI

647

CONSENSU ET AUTHORITY

ESTATIOS MEDICO-RUMORIS

11

ALIA UNIVERSITATE LITTERARIA

TRIDURICA GUILEMIA

PER SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIS

THEATRUM LIBRARIA

THE XXX M OCTOBRI M DCCXXX

XLVI

PALAM DEDICARUS EST

XLVII

AFFECTOR

HENRICUS OESTREICH

XLVIII

OPPONENTIUS:

MICHAEL MUD. ET CIVIL. BAR.

WALDENSIS MUD. ET CIVIL. BAR.

W. THOMAS MUD. ET CIVIL. BAR.

VCEPSIT TUL. HENR.

EXEQUENTIA

TYPI FARNINIENSIS METACI



Quantum vis naturae medicatrix valeret, cum ad organismum a noxiis tuendum, quas ipse perverso vivendi modo sibi inferret homo, tum ad retrahendum eum ab interitu, in quem opinionibus medicorum interdum incongruis incurreret, cum reputarem, luculentiora, quam quae ex vulneribus sclope-
tariis hujus rei capere liceat documenta, non mihi occurserunt. Dum enim pravis saepe cupiditatibus ducti homines hominum vitam manu petunt morti- fera, eosque summis effert laudibus, qui novum aliquod, idque perniciosissimum, quo quis celerius certiusque hostem interimere posset, excogitari ut instrumentum: ipsa rerum natura, humanarum mis- sera calamitatum, novis profecto remedii necdum cognitis salutem afferre, easque res, quae casu in

corpus intrarint, aut hominum malignitate ei sint inflatae, vitae infestas, minus nocivas reddere conatur.

Jam vero a priscis maximisque medicis praecipitatur, qua ratione nobis agendum sit, ut sagittam prae-ruptam e pectore extrahamus, lapidem globumve fundam aut tormentis ossi infixum terebrae ope excutiamus, propterea quod eo nitendum esse medico putabant, ut, si alienis ejiciendis naturae vires haud pares essent, auxilio lato periculum depelleretur.

Qui rei perficiendae quanta interdum obstet difficultas, facile intelliget, qui cum corporis humani constructione vehementiam, qua certantes tela jacere soleant, compararit, ita ut in eas se insinuent partes, quo chirurgi manus, vel cautissima, nullo modo pervenire possit, aut si quis operationem instituere ausus sit, aegroti vita in discrimen vocetur.

Hisco rebus accuratius perpensis palmam quisque, novis instrumentis inventis, accipere studebat,

sed ob litterarum artiumque ruditatem talia tunc
finixerunt, quae si descripta legeris, horreas¹⁾.

Quum vero artis praesidium nihilominus calamitate saepissime inferius videretur, pia quadam mente teli eliciendi causa in sacrī pronunclandis verbis, a majoribus traditis, acquiescere solebant²⁾.

Attamen iidem viri, qui tanto studio in heterogeneis ejiciendis versabantur, ea per totam fere vitam, nulla quidem organismo molestia allata, corpori insidere tradunt, nec ullum, quanticunque sit ex physiologorum sententia momenti, organum esse, quin hujus rei exemplum praebeat, ita ut rectius moneat Ravatonus, magnum opus, si operae premium esset, e sola casuum enumeratione a medicis relatorum componi posse.

1) Percy, vom Ausziehen fremder Körper aus Schußwunden. Straßburg, 1789.

2) Percy, l. c. pag. 14.

Globorum in ipso cerebro delitescentium mentionem faciunt La Martiniere, Preussius¹⁾, Marechalius²⁾. Fabricius Hildanus glandem vedit, massa quadam compacta involutam, inter duram meninges et cranium, quae sex ante mensibus osse frontali perfracto, cavum intraverat³⁾). Octo per annos puellæ cultri lamina inter cranium et duram matrem infixa haerebat⁴⁾). Anellus de glande, sanguine circumfusa, ex multis annis in conario posita, agit⁵⁾). Bilguerus glandem narrat a dextra parte per sinum frontalem in orbitam penetrasse, ita ut, bulbo expulso, probabile sit, eam in capite postea delitusso⁶⁾). Hoechstetterus hominis recordatur, cuius in oculo mucro

1) Dict. des sciences méd., VII. pag. 49.

2) Le Dran, chirurgische Gutachten v. Platner, Leipzig, 1773. pag. 92.

3) Fabricius Hildanus, obs. chirurg. Cent. II. obs. 111.

4) Zacut Lusitan. Oper. Tom. II. Lugd. 1657. Prax. med. admiranda, Lib. I. pag. 2. obs. VI.

5) Dictionnaire des sciences méd., VII. pag. 50.

6) J. Bilguer, chirurgische Wahrnehmungen. Frankfurt a. M. 1768. pag. 162. sqq.

ferreus per triginta annos remanebat¹). Ploucquetus partem bombardae per tres menses in orbita relictam afferat²). Ravatonus militem cognovit cuius per palatum glans plumbea viginti quinque jam annos ossi maxillari infixa tandem ore exiit³). Glan- dem massa cartilaginosa inclusam, ad os fere adnatam invenerunt, quam miles ad nestcreos annos pro- vectus, triginta annos sine ulla noxa gesserat⁴). Et in pulmonibus globum delitescere posse⁵), eo minus miramur, cum ipsum cor alienis hospitium praebere accipiamus, ita ut miles per tres annos globum, cap- sula inclusum, sine ullo incommodo in ventriculo gereret, postquam totidem annos sola palpitatione la- boravit⁶). Quo modo autem fiat, ut peregrina inter duο ossa demersa absque noxa ferri possint, sane ad

1) Ploucquet, initia biblioth. VI. pag. 308.

2) Ploucquet, Literat. med. III. v. Peregrina.

3) Hugo Ravaton, Abhandlung von Schuss-, Hieb- und Stichwunden. Straßburg, 1767. pag. 108.

4) Comment. Lips. Vol. VI. pag. 594.

5) v. Percy, I. c. pag. 109.

6) Dict. des sciences méd. IV. pag. 216. sqq.

intelligendum difficillimum est, quin inter omnes constet, quam mala sit sors eorum, quibus corpora interarticularia perniciem moliantur. Quum vero viri fide dignissimi Bilguerus¹⁾ et Framboisierus²⁾ de glande in humeri et genu articulo retenta disserant, atque Langenbeckius³⁾ se medicinae studiosum curasse memoriae prodat, cui in valetudinem restituto rigor genu propter globum inter ossa insidentem manserit, non est cur dubitemus.

Quae cum ita se habeant, et in abdome aliena morata esse, non miramur, quorum grayissimum affert exemplum Heuermannus⁴⁾, militem narrans secundum annos globum sine incommodo in eo cavo gestasse. E vertebrarum etiam columnam cultri lamination Fabricium Hildanum⁵⁾ et ferri frustum post

1) Bilguer, de rara art. amput. pag. 44.

2) Percy, I. c. pag. 139.

3) Neue Biblioth. I. 2. pag. 322.

4) Heuermann, von den vornehmsten chirurg. Operat. I. pag. 87.

5) Obs. et Curat. Cent. I. Obs. LXII.

undecim annos Bidloum ¹⁾) extraxisse novimus. Bil-
guerus de doctrina vulnerum sclopetariorum optime
meritus nonnullis militibus salutem reddidit, qui, osse
femoris supra genu glande infracto, stipendia in fu-
turum num mereri possent, dubitabant; septem vero
hebdomadibus peractis castra iterum secuti sunt ²⁾).

~~Non obstante glande plumbea in crure rema-~~
Non obstante glande plumbea in crure rema-
 nente Muys, vulnere emplasti ope sanato, aegrotum
 servavit ³⁾). Cel. Dupuytrenius, quum de vulneribus
 sclopetariis quae memorabilibus Julii a. o. diebus
 Parisiis sibi observare contigisset, dissereret, globum
 per XLII annos et vestimento et capsula circumda-
 tum, in femur reconditum, pluribus ante annis a se
 excisum, auditoribus proposuit. Globus sedem in
 tibia notatam relinquens, quacum per triginta annos
 coalita fuit, cute incisa, facillimo negotio eximi po-

1) Percy. l. c. pag. 124.

2) Chirurg. Wahrnehmungen. pag. 400 et 420.

3) Joannis Muys, Praxis chirurg. ration. L. B. 1685.
 pag. 150.

tuit¹). Tibiae extremitatem superiorem delineandam curavit Stüvius, cui capsula inclusa per viginti sex annos plumbea glans insederat²), quem casum graviorem eumque memoratu dignissimum Judicamus, propterea quod Cel. Grossheimius, observationibus adjectis, effecit, ut ad veritatem proprius accedens, de re summi momenti nos edocuerit, quae ad hoc usque tempus altis tenebris latebat. Nam qui ante eum ad doctrinam de vulneribus sclopeto inflictis explanandam animum intendebant, quum de alienis in corpore detentis agerent, tanquam prodigia, quae observassent in medium proferebant, et si qui rem altius indagare studebant, non a summa vi naturae medicatrice, sed potius ab ipsa corporis impacti indeole totam pendere rem contendebant. Ambrosius Paraeus etiam falsis eorum opinionibus strenue impugnatis, qui oleo fervido venenum in vulnera sclopetaria illatum delere conarentur, plumbo dicit sympathiam familiaritatemque cum carnosa praesertim

1) Acta Med. Berol. Dec. III. Vol. I. pag. 70.

2) v. Graefe und v. Walther, Journal der Chirurgie. Bd. X. pag. 142.

corporis mole esse, quas ex insigni ejus in antiquis ulceribus cicatrice obducendis vi colligere liceat, quo fieri, ut in corporibus perstare possit, contra alia metalla, rubigine contracta, erosionem sequi, nec plumbeam quidem glandem in nervosis vel nobilibus partibus citra perniciem morari posse ¹⁾.

Summi Paraei auctoritate freti, mucronum, ferri, vitri in corpus receptorum plane immemores ab omni indagatione penitus instituenda abstinebant posteri, nec quisquam ad res infestas respexit, quae, nullus dubito, in animalium pedes vel massa cornea munitos penetrant, quin inde functiones vitae nimis laesa evadant. Unde autem evenit, ut hujusmodi causus pro prodigio haberentur eo minus intelligimus, si ad graviditatem abdominalem resperexerimus. Nonne gravius est, naturam ipsam crusta lapidea totum organismum involvere, atque ita paratum in incolunis gremio matris servare, quam exiguae molis globum in corpus recipere?

1) Ambr. Paraei, opera chirurgica. Francof. ad M. p. 344.

Num ita accurate viri rerum medicarum periti finierunt, quidnam sit alienum, ut judicium jam ferri liceat, quid natura excipere possit, quidve excutiat, necesse sit? Nonne pars arteriae aut cordis valvula ossificata plane a priori suo statu diversae sunt, tum structurae, tum functionis cui praesint, rationem si habueris, quas tamen a natura non ejici, neminem fugit. Quamdiu igitur physiologi legem non statuerint, qua fiat, ut organicae quandam corporis partes si in degenerationem abierint, cum ipso organismo aut si magis placet juxta eum existere possint: vehementer falli videntur, qui errorem tantummodo habent, quod extrinsecus iata corpus interdum hospitio excipiat. Saepius enim talem petunt locum, ut quanta evellendi negotium premeretur difficultate, tanta fieret virium consumptio eaque pernicioſiſſima, si natura suppuratione facta exenudi viam fīs indicaret egregieque aegroto consultum ducere videatur, alienum in se recondens.

Optimum profecto fuerat si Chirurgi ad modum naturae agentes tum demum exutiendi cona-

mina initissent, cum ex operatione instituenda minus
 caperet detrimentum aegrotus, quam ex alieno in
 corpore retento, nec tanta perseverentia ei ejiciendo
 studuisserent propterea quod, quae Hippocrates de
 sordibus suasit, ut moveretur, si quid movendum es-
 set, et hio valere putabant. Fieri tamen non potest,
 quin in eosdem semper incidamus errores, quin
 nondum nos physiologi de conditione, qua aliena
 corpori, ut ita dicam, increscere possint, edocuerint.
 Ea in organismo morari non posse, contendit Cel.
 Grossheimius, nisi capsula quadam secludere hospi-
 tem natura studuerit, cui vero capsulae induratione
 formandae et organi affecti astheniam et stimuli im-
 becillitatem favere. Huic sententiae de vulneribus
 sclopetariis in primis pronuntiatae quaedam supra a
 nobis allata atque experientia sat superque probata
 repugnare videntur, ita ut, quandoquidem non uni-
 versam ista opinione auctor tradiderit legem, omni
 ex parte assentiri abstineamus.

Ut sit globus plumbeus ex invalidorum stimulo-
 rum numero, quaeritur num et sagittarum aculeus,

mucrones, ferrum rubigine obductum, lapides asperi,
dentati inter eos referendisint; nonne praeterea inter
omnes constat, plumbeum globum corpori inflictum
in varias abire formas, neque ea de causa, propter
faciem rotundam politamque, qua tamen re inter
omnia excellit metalla, infirmum habendum esse in-
citamentum. Huc accedit quod, quum de stimulo
fiat sermo, accuratius ad organa quae irritantur re-
spiciendum est, nec glande plumbea oculum invalidē
incitari dicere possumus, quod in femur minorem
exserit vim. Organa tela scatentia cellulosa ad in-
durationem aptissima esse, extra omnis dubitationis
aleam positum est, minus autem veritati convenire ju-
dicamus, quaecunque organa, ex Grossheimii sententia,
ipso ictu in astheniam adduci. Primum enim valde
distinguendum esse arbitramur, inter eam induratio-
nem, quae in glandulis atque hujusmodi organis in-
flammationi lentae, spontaneae successerit, et quae
traumaticam exceperit; deinde vero hypothesi ince-
dere videtur Grossheimius, cum haemorrhagia cordis
tantum efficere contendat, ut fortissimum musculum
in asthenicum mutet organon.

Nam de inflammationis natura in universum
 judicium ferre non possumus nisi, quinam sit totius
 corporis status constat; et sanguine effuso, etiamsi
 vis cordi insita per aliquod tempus debilitata fuerit,
 veri simillimum est, tam vehementem circulationis
 motum exortum, ut mox laticis affluxu priorem ac-
 quireret vigorem. Indurationem ratione a Grosshei-
 mio, dissertis verbis. exposita evenire, ab inflamma-
 tione plerumque lenta pendere, non est qui dubitet,
 oportendum autem est, eam non esse solam hujus
 rei conditionem. Etenim si concedimus vulnera sclo-
 petaria maxime contusionis causa in passivitatem,
 quam vocant, partes affectas redigere, quo modo de
 sagittarum aculeo, de mucrone qui, plaga illata, cor-
 pori inhaereant, rationem reddamus, nescimus, quum
 haecce vulnera a nemine inter contusa poni soleant.
 Et, quod gravissimum videtur, certantes tanta ple-
 rumque ira exarsi adversarium aggrediuntur, ut so-
 lam istam mentis agitationem tantum valere aesti-
 memus, quae non modo in singulis organis verum
 etiam in toto corpore phaenomena astheniam sisten-
 tia provocet. Rectius itaque nobis dicere videmur,

capsulam, qua aliena in corpus recepta circumdata
inveniri soleant, non eo proposito ab initio forma-
tam esse a natura, ut extraneum secerneret, sed po-
tius ex inflammatione natam non nisi specie a
lympa exsudata et indurata, quam, cum nec suppura-
tionem nec gangraena finiatur morbus inflamma-
torius in organo remanere, constat, discrepare.

Quis denique nostrum est, qui capsulam ita ex-
cultam sibi fingat, quae cerebro omnem globi in eo
jacentis adimat sensationem aut cum corde eum con-
ciliet, quod sanguine qualitercumque alterato in vi-
tentissimos abripitur motus spasticos.

Quibus rebus maturius consideratis, quocunque
alienum in corpore morari posse arbitramur, dum-
modo nec vi chemica damnum afferat, nec cum pri-
mum in corpus intraret, tantam excitaverit reactio-
nem, ut exeundi via clausa, naturae vires ejus refi-
nendi studio exhaustirentur, neque ita collocatum sit,
ut functionem vitae turbet, nec migrando iterum
atque iterum partes vicinas irritet. Quicunque enim

pathologi in eo consentiunt, quo diutius in organismum stimulum agere, eo magis cum eo dynamice exaequari, atque irritandi vi hoc modo sensim sensimque extincta, omnem tandem, quae intercesserit, antithesin auferri. Huic rerum conditioni tribendum esse suspicamur, quod globus a corde etiam ferri potuit; primo enim inflammationis violentioris stadio peracto, hospiti se adsuefecit natura.

Quam ad rem uberius explanandum, gravissimam conferre videtur symbolam, cranium ex anatomici musei thesauris desumptum, ab Ill. Rudolphi, praecoptore magnopere colendo, describendi causa mihi traditum.

Praeter partes, de quibus fusius agere nobis in animo est, cranium, cui glans plumbea altius insidet, nihil anomali praebet. Quo melius autem cognoscantur, optimum visum est delineatori, faciem sectione a nasi apice usque ad medium mentum ducta, dimidiatam ita sibi proponere, ut tota utriusque orbite lamina papyracea sub spectatoris cadat oculos.

Globus inhaerens ita ferebatur, ut cum orbitam
 sinistram penetrasset, Fig. III. a., parte apophyseos
 orbitariae externae et processus frontalis ossis zygo-
 matici aequa ac juxta jacentis alae magnae ossis
 sphenoidei perrupta, in concavitatem orbitae supe-
 riorem tenderet: qui processus ictu ablati partim re-
 generatis sunt, foramine duarum linearum in ala
 magna ossis sphenoidei nondum clauso. Insignis est
 in concavitate orbitae superiori prominentia ossea,
 Fig. III. b. annularis, quae altitudine et marginum
 crassitie consideratis, in eam animum adducit sen-
 tentiam, globum prius per aliquod tempus hic mo-
 ratum esse, quam ad eum, quem nunc occupat lo-
 cum, pervenisset. Attamen pro certo habemus in-
 flamationem e globi collisione natam produxisse
 prominentiam, carnosa quidem massa durante vita
 repletam; globum vero a principio, angulo anteriori,
 superiori, interiori orbitae perfracto, in basin cranii
 usque ad laminam horizontalem ossis ethmoidei,
 Fig. I. bbbb. penetrasse, supraquo eam, carie destru-
 etam, in cavum narium se demersisse, ita ut huic
 cavo atque utriusque orbitae infigeretur.

ET In orbita sinistra duobus adhuc locis, Fig. III
c. cernitur globus, lamina papyracea regenerata luc
illuc eum obduceante, Fig. III. d.

In dextram autem orbitam pars globi pyramida
lis duas lineas et dimidiam ad basin lata, Fig. II. d., in
mediis lamina papyracea osseque lacrymali destructis
haerens, prominet.

Cribrum ossis ethmoidei, carie plane alienatum
nonnullas lineas delapsum, Fig. I. bbbb. in basi cra
nii conspicitur, in media autem facie ejus superiori,
aspera, callosa globus cavum spectat, Fig. I, e. Adest
fissura a margine dextro cribri ad sellam turcicam
vergens, Fig. I. f. quam ictus vehementia tunc ortam
esse, nobis persuasum est.

Maxime dolendum est, quod nisi summa diffi
cultate, quo modo in cavo narium se habeat, deli
nari non potest. Glans enim in margine superiori
septi perpendicularis ossis ethmoidei et in extremi-

tate anteriori utriusque conchae mediae posita, ramulis osseis obtecta, sub adspectum venit.

A. F. Pallas primus hujus cranii mentionem faciens¹⁾ in dextram orbitam globum intrasse tradit, quod, cum omnino rei veritati repugnet, memoriae errori referendum ducimus. Bulbo sinistro tanta vi expulso vix fieri potuisse, ut miserrimus miles tam magnae calamitati superstes esset, qui dicant, non deesse, arbitramur. At ab ipso Palla accepimus, eum, vulnere sanato, quindecim per annos scribam adhuc victum quaesivisse, morbo tandem acuto correptum, diem obiisse. Quum sola cerebri commotio tot eripiat homines, et quaecunque capitis vulnera dubiam sibi poscant prognosin, non possumus, quin faustum eventum admirati, nos minoribus esse viribus libere confiteamur, quam qui in eo explicando elaboremus. Quamquam per tria lustra in se agi oculus patiebatur, non in eam hominem necessitatem coëgit, ut munere se abdicaret; orga-

1) A. F. Pallas, Chirurgie. Berlin 1776. pag. 334.

non olfactus, magna nervorum copia insigne, totidem annos infixum ferebat globum, nec princeps sensorii instrumentum, in ipsam mali sphaeram ad partem inductum, quidquam inde cepit detrimenti. Et ex hoc profecto casu nobis colligere licet, non in tenui callo, quo post mortem obductum invenerunt globum, salutem hominis positam fuisse, sed ultimis rerum causis, ad quas humano ingenio via non pateat, recte nobis tribuere videmur.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
ADJECTUM.

Ego HENRICUS OESTREICH anno millesimo
octingentesimo quarto, Kargae, parentibus adhuc
vivis, natus, veteri testamento addictus sum.

Primis litterarum elementis a patre ipso
imbutus Berolinum me contuli et postquam per
triennium Gymnasium Berolinense Leucophaeum
Ill. Bellermann no t.t. directore florens frequentavi,
maturitatis, quam vocant, testimonio instructus die
XXII. mens. Martii anni MDCCXXVI ab Ill.

Boeckh t. t. fascias tenente inter numerum civium
academicorum receptus et ab Ill. Link t. t. de-
cano medicinae studiosis adscriptus sum. Ex
quo inde tempore hisce intersui scholis: Ill.
Lichtenstein de zoologia, Ill. Mitscherlich
de chemia universalis, Ill. Link de botanice, de
historia naturali universalis, de pharmacologia, de
toxicologia, Ill. Rudolphi de encyclopaedia et
methodologia medica, de anatomia corporis hu-
mani sani, de physiologia, de anatomia compa-
rata ac pathologica, de organis sensuum, de
foetu. Ill. Knape de osteologia, de syndesmo-
logia, de splanchnologia. Uterque artem ca-
daveris secandi me edocuit Ill. Hermbstaedt
de physice experimentalis, de pharmacia, de tech-
nologia, Ill. Hayne de botanice et de plantis
officinalibus, Ill. Erman de calore et lumine,
de physice generali, de atmosphaerologia meteo-
rologica, Ill. Ideler de Arati phaenomenis, Ill.

Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis
et luxatis, de arte obstetricia, Cel. Schlemm
de angiologia et neurologia disserentes audivi.
Nec defui scholis Cl. de Humboldt de geo-
graphia physica. Ill. Weiss mineralogiam, Ill.
Horn pathologiam specialem, doctrinam de
morbis mentis, therapiam specialem, Ill. Jüng-
ken akiurgiam et ophthalmologiam mihi tradi-
derunt. Perill. Hufeland, Cel. Osann, Cel.
Busse, Ill. Wolff, quem optime de me me-
ritum grata semper memoria tenebo, medicinae
faciendae artem me edocuerunt.

Ad praxin chirurgicam exercendam ab Ill.
de Graefe et Ill. Rust, ad praxin obstetri-
ciam ab Ill. Kluge et Ill. Busch, ad praxin
ophthalmiatricam ab Ill. Jüngken institutus
sum.

Jam vero tentaminibus nec non examine
rigoroso coram gratioso medicorum ordine ab-
solutis, aspero fore, ut, dissertatione thesibusque
publice defensis, summi in medicina et chirurgia
honores in me rite conferantur.

de selenitologiam speciosam, nocturnam
et diuinam, quae est deus et deus
est deus, illa deus, illa deus, illa deus,
deus illa, illa deus, illa deus, illa deus.

© 2006 The McGraw-Hill Companies, Inc.

que se le déclara alors que l'empereur fut au courant de la mort de son père.

Medicinae

1920-21 - 1921-22 - 1922-23 - 1923-24 - 1924-25 - 1925-26 - 1926-27 - 1927-28 - 1928-29 - 1929-30 - 1930-31 - 1931-32 - 1932-33 - 1933-34 - 1934-35 - 1935-36 - 1936-37 - 1937-38 - 1938-39 - 1939-40 - 1940-41 - 1941-42 - 1942-43 - 1943-44 - 1944-45 - 1945-46 - 1946-47 - 1947-48 - 1948-49 - 1949-50 - 1950-51 - 1951-52 - 1952-53 - 1953-54 - 1954-55 - 1955-56 - 1956-57 - 1957-58 - 1958-59 - 1959-60 - 1960-61 - 1961-62 - 1962-63 - 1963-64 - 1964-65 - 1965-66 - 1966-67 - 1967-68 - 1968-69 - 1969-70 - 1970-71 - 1971-72 - 1972-73 - 1973-74 - 1974-75 - 1975-76 - 1976-77 - 1977-78 - 1978-79 - 1979-80 - 1980-81 - 1981-82 - 1982-83 - 1983-84 - 1984-85 - 1985-86 - 1986-87 - 1987-88 - 1988-89 - 1989-90 - 1990-91 - 1991-92 - 1992-93 - 1993-94 - 1994-95 - 1995-96 - 1996-97 - 1997-98 - 1998-99 - 1999-2000 - 2000-2001 - 2001-2002 - 2002-2003 - 2003-2004 - 2004-2005 - 2005-2006 - 2006-2007 - 2007-2008 - 2008-2009 - 2009-2010 - 2010-2011 - 2011-2012 - 2012-2013 - 2013-2014 - 2014-2015 - 2015-2016 - 2016-2017 - 2017-2018 - 2018-2019 - 2019-2020 - 2020-2021

THESES DEFENDENDAE.

- I. *Quicunque mentis morbus uero citio organico pendet.*
- II. *Non ut longe, sed ut beate vivamus, nitendum.*
- III. *Morbum non sanatum cognoscere, quam sanatum non cognoscere satius est.*
- IV. *Usu fieri magistrum, nego.*

Mag. III.

EXPLICATIO TABULAE.

Fig. I.

- aa.* Pars anterior baseos cranii.
- bbbb.* Lamina cribrosa.
- c.* Sella turcica.
- d.* Crista galli.
- e.* Pars globi.
- f.* Fissura.

Fig. II.

- a.* Foramen opticum.
- b.* Fiss. orbitalis superior.
- c.* Fissura orbitalis inferior.
- d.* Pars globi.
- e.* Lamina papyracea ossaque lacrymalia delecta.

Fig. III.

- a.* Apophysis orbitaria externa.
 - b.* Prominentia ossea annularis.
 - c.* Pars globi.
 - d.* Lamina papyracea perfracta.
-

СУДОВАЯ ОРГАНІЗАЦІЯ

заснованої згідно з постановою
Всесоюзного з'їзду народних
представників від 25 листопада
1917 року та згідно з
законом Ради народних
представників від 26 листопада
1917 року про
заснування Судової організації

Інструкція

для судових присяжних з
заснованої згідно з постановою
Всесоюзного з'їзду народних
представників від 25 листопада
1917 року та згідно з
законом Ради народних
представників від 26 листопада
1917 року про
заснування Судової організації

Інструкція

для судових присяжних з
заснованої згідно з постановою
Всесоюзного з'їзду народних
представників від 25 листопада
1917 року та згідно з
законом Ради народних
представників від 26 листопада
1917 року про
заснування Судової організації





Fig. I.



Fig. II.



Fig. III



Vagner ad nat. del.

C. Guinand sc.

